



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quęstio quarta. Vtrum in omni creatura sit vestigium trinitatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



ipsius non esse, siue esse sit de quidditate rei, siue nō, quia si cogitatur esse actū subiectū, cogitatur esse actū aliquid in se. Et si cogitatur subiectū ipsi nō esse cogitatur non esse. Et ideo simul cogitaretur nō esse & esse, quod est imposibile. Sed si nō est per se notū nomen illud significare quidditatē entem vel possibilem, per consequens nō est per se notū q̄ esse sit de eius quidditate, propter quod potest cogitari nō esse. nō quidē subiectiue modo prius dicto (s. q̄ cogitetur esse subiectū ipsius nō esse) sed quasi obiectiue, vt cogitur nō esse actū res aliqua vel quidditas.

13 Adhuc supposito q̄ sit notum nomen significare quidditatem entem vel possibilem, vt hoc nomen rosa, et q̄ esse sit de quidditate rosę vel floris: adhuc potest cogitari rosa non esse actū vel non esse flos: non quidem q̄ rosa maneat quantum ad suam quidditatem extra animam & non habeat actū esse, vel non sit actū flos, sed cogitando q̄ huic nomini non subest actū aliqua quidditas. Ex hoc ad propositum dicendum q̄ non est per se notum q̄ hoc nomen Deus significet quidditatem entem vel possibilem, sed cum multa deductione probatum est à Philosopho (vt dictum fuit.) Et si esset per se notum (vt de rosa) adhuc posset cogitari non esse actū modo quo dictum est.

14 Quia autē subditur de Anselmo, qui dicit, q̄ nullus potest cogitare q̄ deus nō est, licet hæc verba dicat in corde, aut sine vlla aut cū aliqua extranea significatione, dicendum q̄ Anselmus non dicit hoc absolute, vt ibidem patet: sed supposito q̄ hæc sit ratio huius nominis Deus: Deus est quo maius cogitari non potest. Et supposita illa deductione q̄ illud cogitur esse maius quod non potest cogitari non esse quā illud quod potest cogitari nō esse. His enim duobus concessis, & facta deductione, sequitur quod Deus non potest cogitari non esse, non autem abso- lute, quia non concedens alteram præmissarum aut non deducens conclusionem ex præmissis potest secundum se cogitare, & mente concipere Deum non esse: propter quod oppositum eius, scilicet Deum esse non est per se notum nobis, sed sit notum deductione facta ex notio- ribus quo ad nos.

15 Ad illud quod tertio subditur dicendum q̄ nō est per se notū q̄ hæc sit ratio nominis quod est Deus: Deus est quo nihil maius cogitari potest, nec Anselmus accipit hoc vt per se notū, sed tantum vt creditur, dicens, cre- dimus te esse aliquid quo nihil maius cogitari potest, nec de omni cogitatione veritatem habet, quia licet Deus sit quo nihil maius esse possit & quo nihil maius verē cogitari possit, potest tamen (quanuis falso) cogitari aliquid maius Deo. Ex quo sequitur q̄ licet Deum esse sit verum, nō tamen est per se notū, quia oppositum per se notū quo ad nos non potest, nec verē nec false opinari.

## QVAESTIO QVARTA.

Vtrum in omni creatura sit vestigiū trinitatis.

Tho. 1. p. q. 45. art. 7.

**C**irca secundum principale, scilicet de vestigio Dei in creaturis quæritur, vtrum in omni creatura sit vestigiū trinitatis. Et videtur q̄ non, quia vestigiū rei est per quod res inuestigatur, sed ex creaturis non potest inuestigari trinitas personarum, vt supra ostensum est: ergo, &c.

2 Item secundum Aug. vestigiū attenditur secundum modum speciem & ordinem, sed modi nō est modus, nec ordinis ordo, &c. Cum hæc cogitur sint quædā creaturę videtur saltem quod non in omni creatura sit vestigiū.

3 Præterea Ambr. in Hexametro dicit quod natura lucis nō est creata in numero, pondere, & mensura. Et tamē secundū hoc attenditur vestigiū: ergo non in omni creatura est vestigiū.

4 **CONTRA** SAP. II. Omnia in numero, &c.

5 Item Aug. in libro de Natura boni, loquens de numero, specie, & ordine, dicit vbi hæc tria, magna sunt magnum bonum est, vbi parua paruum, vbi nulla nullum, sed in omni creatura est aliquid bonū: ergo in omni creatura est vestigiū.

6 **RESPONSI**O, videndum est primo quid sit vestigiū, & secundum quas partes attenditur. In quo apparet an vestigiū sit in omnibus creaturis. Et secundo

videbitur vtrum partes vestigiū addat aliquid reale super rem quę est earum fundamentum.

7 Quantum ad primum sciendum est quod vestigiū nunc translative sumitur ad similitudinem vestigiū proprie dicti quod est impressio ducens confusē in cognitionem eius cuius est, sicut vestigiū hominis dicitur impressio pedis derelicta in puluere quę ducit in cognitionem hominis cuius est impressio, nō tamen determinate in cognitionem eius, sed confusē in cognitionem alicuius, ex hoc sic arguitur. Vbiq̄ est aliqua representatio trinitatis ducens nos saltem confusē in aliquam trinitatis notitiā ibi est vestigiū trinitatis, sed in omni creatura est aliqua representatio trinitatis ducens nos in aliqualem trinitatis notitiā (licet cōfusam) ergo &c. maior patet ex dictis, minor declaratur, quia in trinitate diuina est vnitatis essentię cum trinitate personarum. In omni enim creatura inuenitur essentia vnitatis, & quædam tria quę aliqualiter correspondent tribus personis (licet confusē.) Omnis enim creatura procedit à Deo per potētiā, secundum ordinem sapientię, & propter bonitatem diuinam, quia tria appropriantur tribus personis. Ea autem quę in creaturis his tribus respondent sunt secundum Aug. modus, species, & ordo. Omnis enim creatura habet esse limitatum & non infinitum, & hoc pertinet ad modum. Item habet esse determinatum ad certam speciem quod pertinet ad speciem. Habet etiam inclinationē ad aliquid aliud, & hoc pertinet ad ordinem. Ducunt autem hæc in cognitionem appropriatorum, & per consequens in cognitionem confusam personarum hoc modo. Ex hoc enim quod quælibet res habet substantiam modificatam & finitam demonstratur quod sit ab alio principio, & ita ducit in cognitionem potētię quę nominatur principium & appropriatur patri. Species verō demonstrat verbum patris (sicut forma domus conceptionem artificis) ordo verō demonstrat amorem producentis quo effectus ordinatur in bonum. Amor autem appropriatur Spiritui sancto: ideo, &c.

8 Hæc autem assignatio eadem est cum illa quam ponit beatus Aug. lib. 87. q. quod constat, quo discernitur, quo cōgruit. Est etiam eadem cū illa quę ponitur Sap. II. Omnia in numero, mensura, & pondere dispositi. vnde Aug. super Gen. cap. 1. dicit quod Deus est mensura omni rei modum præfigens, numerus omni rei speciem præbēs pondus omnem rem ad stabilitatem trahens, vnde pro eodem accipit mensuram & modum, numerum & speciem pondus & ordinem: vel hæc ad inuicem coaptat, & sic patet primum.

9 **QVANTVM** ad secundum dicendum q̄ partes vestigiū nō addunt super rem aliquid faciens compositionem, quod patet primo ex earum communitate sic: quæ sunt per se communia omni enti nihil addunt super ens, sed partes vestigiū sunt communes omni enti cum in omnibus inueniatur vestigiū: ergo nihil addit super ens, sed ens nihil addit super quamlibet rem: ergo nec partes vestigiū. minor iam patet, maior declaratur, quia præter ens nihil est. Et ideo quę conueniunt enti secundū q̄ ens (qualia sunt illa quę omni enti conueniunt) nihil possunt addere super ens: exemplū de vno quod conuertitur cum ente, & de consimilibus.

10 Secundo patet idem sic. Si modus rei de quo nunc loquimur, qui est vna pars vestigiū (& idem est intelligendum de aliis) esset res addita super illud cuius est modus faciens cum ipsa compositionem, cum in omni creatura sit vestigiū (vt probatū est) in tali modo esset assignare vestigiū, & partes vestigiū quę sunt modus, species, & ordo, & ita modi esset modus, tunc quærerem de modo isto scilicet cūdo vtrū diceret additum aut nō. Si nō, eadē ratione sit scindum fuit in primo. Si sic, erit processus in infinitum quærēdo vt prius, hoc est inconueniens: ergo patet q̄ partes vestigiū non dicunt aliquid additum super rem cuius sunt, hoc etiam competit eorum representationi: representant enim appropriata personis vel personas quātum ad appropriata quę nō dicunt rem additam essentia vel persona. Intelligendum est etiā quod licet in omni creatura possit assignari vestigiū, magis tamē in per se subsistentibus cuiusmodi sunt indiuidua substantia quām in accidentibus, & adhuc in materia minus.



11 Ad rationes in oppositum. Ad primam dicendum quod licet in creaturis non inuestigetur Trinitas personarum per modum demonstrationis ex necessitate concludentis, tamen inuestigatur per modum cuiusdam adaptationis, & hoc sufficit ad rationem vestigiū cum sit representatio imperfecta.

12 Ad secundum dicendum quod procedit ex falso intellectū, scilicet quod modus rei sit res aliqua creata alia ab ea cuius est modus, faciens cum ipsa compositione quod non est verum, ut declaratum fuit in corpore questionis.

13 Ad tertium dicendum quod pro tanto lucis natura dicitur non fuisse creata in numero, pondere & mensura, quia eius effectus est minus limitatus quam aliarum rerum simpliciter tamen cum luce sunt ista creata.

Secunda pars tertię distinctionis.

**N**unc vero iam ad eam perueniamus. Superius ostendit Magister Trinitatem personarum & unitatem essentię per similitudinem vestigiū. Hic ostendit hoc idem per similitudinem imaginis quę in creatura rationali specialiter habet esse. Et diuiditur in tres partes. Primo ostendit subiectum imaginis. Secundo ostendit secundum quid attenditur imago. Tertio ex omnibus quę dicta sunt concludit unitatem essentię & trinitatem personarum. Secunda ibi. Ecce ergo mens. Tertia ibi. Quia propter iuxta istam. Secunda autem istarum in qua ostenditur secundum quid attenditur imago diuiditur in duas partes. Primo enim assignat imaginem secundum potentias. Secundo secundum habitus. Secunda ibi, potest autem alio modo. Item prima diuiditur in tres partes. Primo ostendit imaginis partes. Secundo ostendit in eis similitudinem trium personarum. Tertio dissimilitudinem. Secunda ibi, hæc ergo tria, ut ait. Tertia ibi, veruntamen caueat. Adhuc secunda istarum in qua ostendit similitudinem personarum in potentis diuiditur in tres. Primo inducit probationem. Secundo ponit quorundam doctorum manifestationem. Tertio excludit quandam dubitationem. Secunda ibi, mens autem hic accipiendum. Tertia ibi, hic aduertendum. Illa pars in qua assignat imaginem secundum habitum, diuiditur in tres. Primo enim assignat partes imaginis. Secundo probat in eis similitudinem personarum. Tertio concludit suum intentum. Secunda ibi. Hæc autem tria cum sunt distincta. Tertia ibi, mens itaque rationalis. Hęc est scientia Magistri in generali.

2 In speciali autem sic procedit magister dicens, quod Imago Dei qui est omnipotens in excellentiori parte hominis, scilicet in mente querenda est, non solum prout est gratia informata, sed secundum sua naturalia, quia secundum suam naturam est capax Dei, & particeps esse potest eius. Et hoc est esse imaginem, postea assignat imaginem in mente secundum potentias dicens quod secundum quod mens meminit sui, intelligit se, vult se, inuenitur imago trinitatis in memoria, intelligentia & voluntate. Deinde ostendit similitudinem trium personarum. Et primo quantum ad consubstantialitatem. Illam enim consubstantialitatem habent ad inuicem, quia sunt vna mens & vna essentia. Secundo quantum ad distinctionem personarum, scilicet quia habent diuersam relationem. Tertio quantum ad æqualitatem, sunt enim ad inuicem æqualia, sicut personę diuinę quam æqualitatem probat per hoc quod se inuicem capiunt, & includunt, quia quęlibet dictarum personarum capit aliam, & quęlibet capit oēs. Et ideo quęlibet est equalis oibus. Quicquid enim est obiectum vnus est obiectum omnium. Quod autem memoria sic capit ostendit, quicquid est præsens memorię est in memoria, sed memoria est sibi præsens, ergo tota seipsam capit. Item quicquid intelligo & volo illud intelligo me scire & velle, sed quod scio me intelligere est in memoria, ergo quicquid intelligo & volo est in memoria mea, ergo memoria totam se capit & intelligentiam & voluntatem. Quod verò intelligentia capit singula sic probat Aug. Omne quod non est ignotum est intelligentia, sed quicquid est volitum, vel intellectum in memoria existens non est ignotum, ergo omne huiusmodi est in intelligentia, & ab ipsa capitur intelligentia, ergo alias capit. Quod etiā voluntas singula capit sic probat. Omne illud quo vtor est in voluntate mea & ab ea capitur ut obiectum, sed omni eo

quod volo vel intelligo vel memoror, vtor, ergo omne huiusmodi est in voluntate mea, cum ab ipsa capiatur ut obiectum voluntas, ergo seipsam capit & alias potetias. Postea determinat quędam & primo quomodo accipitur mens, & dicit quod mens potest hic accipi dupliciter, veluti pro tota anima vel conuenientius pro eo quod est in ea excellentius. Secundo dicit quod memoria non est tantum præteritorum & absentium, sed præsentium, alias se non careret. Postea excludit quandam obiectionem & querit primo quomodo ista tria sunt vna essentia cum non videntur esse substantia sed naturalis proprietates ipsius anime, nulla autem proprietates est essentia, cum in essentia non sit diuersitas & relatio mutua, & soluit dicens quod ideo dicuntur vna substantia eo quod non accidentaliter, sed essentialiter sunt in ipsa essentia anime. Postea ostendit in istis potentis dissimilitudinem respectu diuinarum personarum. & ponit duplicem dissimilitudinem. Prima est in trinitate diuina, trinitas est vnus Deus. Hęc verò tres potetias non sunt vnus homo, sed hominis vnus. Secunda, quia persona vnus hominis habet tres potetias illas. Sed in diuinis vna persona non habet trinitatem: vnde istę tres personę non videntur esse personę vnus Dei, & addit quod in istis potentis est imago, non solum respectu sui, sed etiam respectu dei. Postea assignat alio modo imaginem Dei, scilicet secundum habitum, & dicit quod in mente notitia & amore est imago trinitatis. Postea ostendit similitudinem trium personarum in istis. Et primo quantum ad substantialitatem, quia hæc tria vnum sunt. Secundo quantum ad originem, quia ex mente procedit notitia & ab vtroque amor sicut vna persona diuina ab alia procedit. Tertio quantum ad æqualitatem, quia in quantum est mens intantum se notat & diligit, & vtrumque istorum in altero concluditur. Postea ex unitate quę in ista imagine apparet concludit vnum Deum, si enim essent duo diuini vel alter superflueret, si vterque esset perfectissimus, vel alter esset insufficientis. Vitimo ex prædictis concludit veritatem fidei, scilicet quod in diuinis est vnitas essentię in trinitate personarum, quas personas necesse est esse distinctas relatione processionsis, & hæc est sententia Magistri in speciali.

QVAESTIO PRIMA.

Secunda pars tertię distinctionis. Vtrum in homine sit imago trinitatis.

Tho. 1. p. q. 93. ar. 1. infra. 2. sen. d. 16. q. 1.

**C**irca secundam partem principalem huius tertię distinctionis in qua Magister tractat de imagine trinitatis. Primo queritur vtrum in homine sit imago trinitatis. Et postea queritur de partibus imaginis. Queritur ergo primo vtrum in homine sit imago trinitatis. Et videtur quod non, quia beatus Hilarius lib. de Synodis dicit quod imago est eius rei ad quā imaginatur species indifferens, sed nulla vna species indifferens potest esse trinitatis diuinę & anime nostrę: ergo in anima nostra non est imago trinitatis.

2 Item infinitas diuina non habet imaginem in aliqua creatura: ergo nec trinitas: antecedens patet, quia in creaturis nihil est quod representet infinitatem diuinā, probatio consequentię, quia omnis infinitas diuina sufficienter inuestigatur ex creaturis, non autem trinitas, propter quod magis debet habere imaginem quā trinitas.

3 **I**N CONTRARIUM est quod dicitur Gen. 1. Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram. Et Aug. 14. de Trin. dicit, quod anima nostra eo ipso ad imaginem Dei est quod capax eius particepsque esse potest.

4 **R**ESPONSIO, duo videnda sunt. Primum est quid sit de ratione imaginis. Secundum est qualiter imago trinitatis sit in nobis.

5 Quantum ad primum est intelligendum quod imago im portat duo. Primum est similitudo ad id cuius est imago non quęcumque, sed secundum ea quę demonstrant rem expressius, ut apud sensum color & figura. Et hoc patet in his quibus vulgariter nomen imaginis attribuiimus. Si enim alterū deit non dicimus esse completam imaginem, sed quia istud non sufficit, multa enim sunt sibi similia in colore & figura, & in his quę rem expressius representant, quorum vnum non est alterius imago, sicut ouum